

32.

1725, 8

(32)

8

FACVLTATIS JVRIDICÆ
IN ALMA AC PERANTIQUA VNIVERSI-
TATE ERFORDIENSI

DECANVS,
JOH. HENRICUS
Weier/ JC TVS,


ELECTORAL. REGIMIN. CONSILIAS. DECRE-
TAL. PROF. PVBL. VNIVERSIT. SENIOR,
NEC NON JVDIC. PROVINC.
ASSESS. PRIMAR.

LECTORI BENEVOLO

S. & O.

de vive employ tentio.

ERFORDIÆ,
TYPIS GROSCHIANIS, ACAD. TYPOGR.



Rerum gerendarum nervus apud Romanos, pro majore parte, ex vectigalibus inferebatur, eorumque cura residebat penes Censorres, quos, de fundis publicis, vectigalia providè in Populi conspectu locupletibus publicanis elocare oportebat, tradente Tullio *Orat. i. in Rullum.* Hi publicani exigebant de fundis stipendiariis & emphyteuticariis ab eorum possessoribus vectigal; in quā suā functione sāpius jure suo abuti solebant, quapropter in Sacris male audiunt; nec tantummodo prædiorum onerum fiscalium conductores nomine publicanorum indigitantur, sed quoque qui de mercibus partem, Fisci nomine, præripiunt: In Republica, tempore mediæ Jurisprudentiæ, liberi populi, uti provinciales, nihil tributi conferebant, qui tamen non minùs sub Imperatoribus munes fiebant, Hi enim subditis no-

va

va & inaudita vectigalia imperabant, non solum pro
immobilibus, sed quoque eduliis & potabilibus; quæ
per totam venirent urbem quadragesima summae
fisco cedebat; quod etiam hodie & quidem onero-
siore modo alibi usurpatum; tolerabile magis apud
nos, quippe ruri degentes loco talis tributi à tempore
pubertatis ad sexagesimum ætatis annum quadrangle-
tem thaleri, germ. Kopff-Geld/ pendunt per annum.
Nero initio sui principatus, dum adhuc obsequebatur
injunctis sui moderatoris, Senecæ, quò gratiam popu-
li aucuparetur, partem quintam & vicesimam pretii
mancipiorum; Trajanus verò vectigal vigesimalium
sustulisse fertur; etenim hoc vectigal, putà vicesima
hereditatum, ab Augusto ad subsidium ærarii, bello-
rumque onera extraneis heredibus irrogatum erat,
cujus mentio superest in l. ult. Cod. de Edict. div. Ha-
drian. tollend. Plin. in panegyr. Trajan. & Dion. lib. 55.
De hisce pluribus etiam a Nostris tractatur ad tit. ff.
si ager vectigal. i. e. emphyt. petatur. Ubi innumeræ
difficultates de hoc emphyteutico jure explicatae
sunt, uti videre est vel apud Alvarum Valascum,
Lusitanum in suis de hoc jure formatis Quæstionibus,
& Aurelium Corbulum tr. de jur. emphyt. Pro spatio,
quod reliquum, pauca quædam de his delibamus:
Quòd hicce contractus pro objecto admittat præ-
dia sine distinctione, etiam urbana l. 15. §. 26. ff. de
damn.

damn. infect. Nov. 120. cap. 1. jura quoque, immo-
bilibus insistentia, annuos reditus, decimas, &c. at-
que conceduntur annuo canone in pecuniâ aliave
re fungibili, non tamen in corporibus, sive specie-
bus præstanto, quòd hoc non convenit nec em-
ptioni, nec locationi §. 3. Inst. de locat. Porrò hîc
res conceditur emphyteutæ ad perpetuum usum et-
iam in emphyteusi Ecclesiæ per Novell. 120. §. 1.
junct. cap. 7. X. de reb. Eccles. non alienand. neque
eiusmodi concessio restringenda ad tertiam genera-
tionem, neque ad heredum alterum sexum, neque
ad descendentes primi solum acquirentis, ut in utro-
que posteriori casu obtinet in feudis; pertinet etiam
ad transversales, & extraneos, testamento vocatos d.
§. 3. Inst. de locat. cit. l. 1. ff. si ager vect. Sin verò sit
constitutum jus emphyteuticarum Emphyteutæ
ejusque filiis, solummodo admittuntur tunc descen-
dentes promiscuè utriusque sexus arg. l. 220. §. 3. de
V. S. j. l. 16. pr. + de testam. tutel. Denique ex diver-
sa emphyteusis acceptione & personalis competit
actio, quatenus denotat acquisitionis causam; quà
verò èa voce intelligitur jus constitutum, datur actio
realis; equidem emphyteuta tam liberè de jure hoc
sibi legitimè in fundo alterius acquisito disponit,
quemadmodum proprietarius de re suâ propriâ cor-
porali, licet hic absolute; ille verò modo paululum

re-

restricto, ut non immerito aliquod jus, dominio si-
mili ipsi competat, sive quasi dominium, sive utile,
sive impro prium appellitetur. De hac igitur am-
plissimâ Juris materia, profundius dissertaturus est

NOBILIS ATQVE CLARISSIMVS

DN. SIMON JOH. SIMONETTY,

Jur. Pract. Leisnic. & Maj. Reg. Pol. nec non Elest. Sax.

Reg. Adv. immatr. jur.

Primum is adspexit lucem Boleslaviæ, in Oppido Si-
lesiæ, d. 5. Julii 1691. Patre, viro *Nobiliss. & Clarissi-
mo Dn. JVLIO SIMONETTY de ROGOREDO*, dicti Op-
pidi Senatorे & Prætore, *Illusterrimique Comitis de
Promniz, Soravia &c. artis Architectonicæ Directo-
re*; Matte verò existente, *VRSVLA MARIANA de
STEINBERG*, d. 2. Junii 1710. p. m. Hi optimi Pa-
rentes omnem in educando filio adhibuerunt cu-
ram, quapropter non solum ad Lyceum Lignicense
Ao. 1703. ipsum miserunt, sed & necessariis profe-
ctibus ibidem instructum *Gymnasii Laubanensis
Rectoris, M. GODOFREDI HOFFMANNI*, de Republi-
câ literariâ, dum viveret, optimè meriti, Curæ &
Informationi con crediderunt; quem etiam, cùm
Zittaviensis Gymnasii Rectoratum obtinuisset, Lau-
bâ discedentem secutus, ibique tamdiu remora-
tus, donec, oratione publicâ valedictoriâ ao. 1709.
in inclyto Zitaviensi Gymnasio habitâ, Lipsiensem

Musarum elegantiorum sedem peteret. Philo-
phica, pro eruditionis fundamento, ibi posuit stu-
dia, eumque in finem Consultiss. Dn. D. MVL-
LERI Collegia frequentavit, postea Jurisprudentiae
indefessam navavit operam, & ab ore Celeberrimo-
rum ac præstantissimorum, dum viverent, Jctorum,
Dn. PHILIPPI & Dn. SCHACHERI pependit, sub quo-
rum duetu totum Cursum, ut vocant minori usu,
juridicum absolvit, priusque nominati Collegia Pra-
etica sedulò frequentavit, perque quadriennium hic
ferè commoratus, Wittebergam ao. 1714. se contulit,
atque juris fundamenta inibi sedulò ruminatus est,
præeunte Viro *Magnifico ac Consultissimo* Dn. MICH.
HENR GRIEBNERO, Jcto. Pot Reg Pol. & El. Sax. &c.
ab Aul. & Inst. Consiliis, & Archivar. Intimo, nec non
laudata Acad. Witteb. Prof. Publ. Posthac Actuaria-
tus functio Saxon. Præfectura Radebergensis, ipsi ab
Regia Camera, collata, cui quoque per tria Semestria
præfuit, ac dein Magnatum diversorum Comes in
expediendis itineribus selectus, totam ferè Germani-
am, Bohemiam, Moraviam, Austria bonaque
Hungariæ partem permensus est. Tandem sedem
fixam meditatus, Saxoniam, præ caeteris, optavit, ubi
post demandatam sibi Jurisdictionem Generosæ
stirpis GROSSENSIS Altenhaynensem, Praxi Juridicæ
operam præpius impendere intendens, Examen

ao.

ao 1721. in Amplissima Facultate Juridica Wittebergensi ex voto sustinuit, atque, hoc peracto, ab Illustri Regimine, quod Dresdæ viget, præstito specimine die 13. Martii d. a. in matriculam Advocatorum receptus est; postmodum, hortatu Familiarissimorum, Matrimonio sibi junxit Virginem, ex Generosâ Spissorum familia oriundam, nimirum JOHANNAM CHRISTIANAM, Generosi Dn. CHRISTOPH. EHRENFRIEDI de SPIESS filiam, natu minimam, sub tutamine Altissimi adhuc in vivis florentem. Ad Praxin feliciore successu ao. 1721. d. 7. Nov. se Leisnigiam contulit, ubi adhuc domicilium suum foveat &c, absit jactantia, non immerito, uti & Nobis verè probavit, laudem felicis Practici obtinuit; itaque, majori commendationi fore arbitratus est, si publicum eruditionis testimonium summosque Academicos honores sibi conciliaret; quam ob Causam perantiquam nostram HIERANAM accessit, atque Nobis honestam suam intentionem literis editis declaravit, &c, quòd non expediret, functiōnibus suis diu abesse, modestè efflagitavit, ut sine remorâ, præparandi rigorosi Examinis causâ, Ipsi textus ex utroque Jure ritè exponendos communicaarentur; promptè igitur annuimus petitis, atque ex Jure Canonico designatum est cap. *Audistis. 3. X.*
de integr. restit. ex Jure autem Civili L. Filio 17. ff. de
in

injust. rupt. Irrit. fact. test. Hosce textus eruditè & solidè exposuit, atque spinosas quoque propositas quæstiones, objectionibus per congruas distinctiones conciliatis, benè resolvit; quamobrem albos reportavit calculos atque consensu unanimi in album Candidatorum cooptatus est, Ipsique jam declarato Candidato indultum, secundū tenorem Statutorum publica addere specimina; quibus itaq; edendis definivit diem ultimam adhuc cur. Mens. Octobr. quā ad cit. L. i. ff. si ager uect. i. e. emphyt. petatu. *CVRSORIAM LECITIONEM*; Disputationem verò Inauguralem: DE LAVDEMIO EJVSQVE PRÆSCRIPTIONE CONTRA LEGEM PVBLICAM PROHIBITIVAM: auspicaturus est. Quibus actibus solennibus, ut Magnif. Dn. Universitatis Rector, Proceres atque Jurisprudentiæ strenui Cultores præstò esse velint, officiosè & amicè invitantur, etiam atque rogantur. Publ. Erfurti sub Sigill. Facult. Jurid. XXII. SS. Trinit. seu 28. Octobr. ao. M DCC XXV.

L.S.


Erfurt, Diss., 1725-26

ULB Halle
005 367 786

3



vD18





32.

1725, 8

(32
8

FACVLTTATIS JVRIDICÆ
IN ALMA AC PERANTIQVA VNIVERSI-
TATE ERFORDIENSI
DECANVS,
JOH. HENRICUS
Weier/ JC TVS,

ELECTORAL. REGIMIN. CONSILIAS. DECRE-
TAL. PROF. PVBL. VNIVERSIT. SENIOR,
NEC NON JVDIC. PROVINC.
ASSESS. PRIMAR.

LECTORI BENEVOLO

S. & O.

Le iure compyentico.

ERFORDIAE,
TYPIS GROSCHIANIS, ACAD. TYPOGR.